

25

VIRO
CLARISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOMINO
IOHANNI GOTTLIEB ROSEN
SVMMOS

IN
PHILOSOPHIA HONORES

A. C. 1710 Iosec XXII. PRID. ID. FEBR.
EX MERITO COLLATOS
GRATVLATVR
DISCIPVLVS

ADRIANVS STEGERVS

LPSIAE
EX OFFICINA TITIANA.

25

VIR CLARISSIME,
PRAECEPTOR HONORATISSIME,



*V*anquam omnibus ac singulis temporibus tales in Republica eruditorum extiterint homines, qui in eo singularem atque præcipuam quandam gloriam quæsierunt, ut Philosophiam omnibus modis contemtam traducerent, eandemque maximo-
pere invisam redderent; Tamen nec defuere qui ejus excell-
entiam præstantissimamque utilitatem cognoverunt, eaque
de causa magni semper habuerunt. Et id jure meritoque. Est
enim illa Radius de magno isto lumine, quod Protoplastum Pa-
rentem, priusquam deplorando illo lapsu amplissimam suam di-
gnitatem summamque felicitatem amitteret, totum illustrabat,
nobilissimum munus DIVINVM, hominem a brutorum ani-
mantium natura longissime sejungens, instrumentum quod-
dam potentissimum, quo non solum sibi, sed & aliis maxi-
mum præstare quisquam potest emolumentum. Quid intelle-
ctu & voluntate nobilius? at has animi facultates illustrat &
purificat. Quid nobis est sanitate atque vita gratius? At
hanc utramque illa conservat. Quid homini externa felicita-
te exoptatius? at hanc promovet. Vbinam Summum bonum
consummataque felicitas est, quam in DEO? Ad hujus au-
tem beatissimam communionem adspirat. Hæc est illa, quæ
Lumen a tenebris, & verum a falso secernere nos edocet, quæ
magnificentiam invisibilis DEI operum naturalium contem-
platione visibilem exhibet, quæ ostendit, quid nobilitati at-
que

que excellentiae humani generis aptum, commodum & conve-
niens, quidve a dignitate ista, quam beneficis ille rerum
omnium conditor præ aliis creaturis ipsi concessit, sit alienum.
Quos illa in sinu suo nutritivit discipulos, præ aliis facile agno-
scimus, quippe quorum symbolum est: *Justitia & veritate.*
Quinimo singula verba omnesque actiones hoc clare distin-
que demonstrant. Cæteroqui pacem atque concordiam amant:
homines de rebus inutilibus & supervacaneis acerrime dispu-
tantes, eoque ipso inanem falsæ gloriæ umbram consecstantes
odio plusquam Vatiniano prosequuntur: humilem animum
præ se ferunt: hominibus superbia inflatis sunt inimici: alio-
rum honorem famam & autoritatem æquo animo intuentur,
nec eorum fortunis invidere consueverunt. In omnibus re-
bus sapienter atque prudenter se gerunt: aliorum utentes
consuetudine humanitatis pariter ac comitatis indicia pro-
dunt: operam studiumque suum cuique paratissimum volunt
esse, imo quoque Patriæ atque Reipublicæ perquam utiles exi-
stunt. Hæc est vera Philosophiæ facies, quam illa cum disci-
pulis suis ostendit, cui tamen Theologia manum auxiliatri-
cem porrigit, firmumque ponit fundamentum, sine cuius ope
potius sapiens stultitia esset vocanda. Si quis forte objiciat,
quosdam bodie inveniri, qui Philosophiæ studium profitentur,
eique se se plurimum operæ navasse jactitant, eos tamen neque
fructum illum amplissimum fuisse consecutos, nec ejusmodi or-
namentis, ex quibus Philosophiæ auditores supra dicto modo
agnoscuntur, ornatos esse, is sciat, Philosophiæ culpam tri-
buendam non esse, sed potius hominibus, qui præ via veræ felicitatis in Philosophia ipsis ostensæ, stultitiae viam eligunt.
Si quem vero illud offenderet, Philosophiam a quibusdam ma-
le haberi, tam stulte ageret, ac si vir quidam intelligens mar-
garitam vel alium pretiosum adamantem a simplici quodam
homine pretii ignaro pedibus conculcatum contemneret. Quæ
cum ita sint, quis non amaret Philosophiam, eamque prudentem
Magistrum, fidam comitem, eximiamque patronam sibi ex-
optaret? Sed quid tot verba profero, cum certe sciam, TE,
VIR CLARISSIME, sententiæ meæ hactenus propo-
sitæ subscripturum, quippe cum ipsa edocitus experientia cogno-
scas

scas, ea, quæ a me adducta sunt, veritati maximopere esse consentanea. Quapropter supervacaneum mibi esse videtur, multos evolvere libros, historiam summa industria perquirere, taliumque virorum exempla in quibus veræ sapientiae indoles atque imago exsplenduit, conquirere, quia hac opera facile supercedere possum, si ad TE meas dirigo cogitationes. De TE nunc judicare non valeo nec volo, sed potius honorificum Facultatis Philosophicæ judicium appello, quæ ex editis a TE elegantissimis speciminibus luculenter perfexit, TE in numero eorum, qui Philosophiam studiosissime excotunt, jure meritoque ponendum. Atque hæc fuit causa, quæ eam commovit, ut summos honores, quos Philosophia suis cultoribus præmium laudabilium studiorum tribuere solet, bodierno die publice in TE conferret. Id quod me officii mei TIBI debiti admonuit (cum fidem TVA M singularem, quam in me erudiendo satis abundeque ostendisti, omni laude extollere gratumque animum declarare teneas) ita ut non potuerim, quin hisce verbis illud exprimerem. Gratulor itaque TIBI, VIR CLARISSIME, de impetratis hisce honoribus, idemque sincera mente pioque corde exopto, ut, sicuti nunc honorum singularis diligentiae TVAE splendidissimorum factus es particeps, ita quoque imposterum experiaris, quantum utilitatis viris sapientiae deditis subnascatur. DEVS fons inexhaustæ bonitatis & omnis sapientiae scatirigo, animi TVI dotes benignissime concessas augeat, corporis valetudinem imperiatur TIBI, TEque omni prosperitate ornnet, ut Ecclesia Christi aliquando, ubi Summo Numini placuerit, de insigni studiorum TVORVM fructu sibi gratulari queat.



78 M 496

ULB Halle
001 618 148



3

TA -> 0L

K018

b7



25

VIRO
CLARISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOMINO
JOHANNI GOTTLIEB ROSEN
SVMMOS
IN
SOPHIA HONORES
Locc XXII. PRID. ID. FEBR.
ERITO COLLATOS
GRATVLATVR
DISCIPVLVS
IANVS STEGERVS
LPSIAE
OFFICINA TITIANA.

